

CONSTITUTIONIS "PROVIDA MATER," PARS PRIOR

SEU

AD EIUS INTRODUCTIONEM DOCTRINALIA ET HISTORICA COMMENTARIA

INTRODUCTIO

1. Uti supra exponebamus (1), Constitutio *Provida Mater* bipartitam merito dicere possumus. Ex duabus implicitis partibus quibus constat, *expositiva* scilicet et *praeceptiva* seu iuridica, hanc alteram quae *Lex peculiaris Institutorum saecularium* inscribitur, satis fuse in sectione documentis illustrandis Institutorum saecularium constitutivis dicata (2) commentati sumus (3). Nunc, in hac tertia sectione historica, primam constitutionis partem illustrare aggredimur. Quod ut debite apteque perficiamus brevibus tantum dilucidationibus obiter illa declarabimus quae in textu sufficienter innuuntur, alia vero quae sub diversis respectibus magis momentosa et profundiora sed non ita facilia videntur, interpretari sobrieque evolvere satagemus. Ex his dilucidationibus ac commentariis, ut confidimus, schema evolutionis iuridicae statuum perfectionis facile ob oculos ponetur.

2. Opportune iam monuimus (4) et ceterum legenti statim patet partem huiusmodi *expositivam* constitutionis *Provida Mater*, ita amplam et, quod magis interest, ita gravem plenamque esse, ut evidenter non recte ab illo existimaretur et penderetur, qui ipsam meram simplicem introductionem, esto pulchram et amplam, ad partem secundam iuridicam pronuntiaret. Revera, non functionem tantum prologi galeati ad *Legem peculiarem*, vel manuactionis, seu litterariae, historicae, practicae introductionis, quae ad iuridica praecepta ordinanda atque illustranda subsidium conferre posset haec prior pars

in constitutione habet, sed insuper propriam, alteri quidem prorsus coordinatam, tamen autonomam etiam et *substantivam*. Talem scilicet quae iure meritoque ipsa dici potest et haberi debet, vivum certumque fundamentum, sive historice sive doctrinaliter sive practice *Legis peculiaris* constituere (5).

3. Synthetice, et quoad illa speciatim, ut diximus (n. 2), quae magis ponderosa videntur, sub duplici praecipue respectu hanc alteram constitutionis partem illustrare nitimur, scilicet sub respectu historico et sub respectu doctrinali. Sub respectu *historico* ex rapida documenti in hac parte declaratione abunde constabit, quousque historia mirae evolutionis statuum perfectionis iuris ac vitae magistra sit, et quam clara et vivida luce in ipsa perpetuus specialissimae Providentiae eluceat interventus. Ecclesiam Spiritu Sancto manuactam esse, fortiter et suaviter persentitur in suis circa diversos status perfectionis peropportunitis declarationibus edendis, in normis pro ipsis constituendis, in paterno regimine circa eos exercendo (6). Sub respectu *doctrinali* nullo negotio deducemus, quod si in integro iure canonico verum est doctrinam primas habere partes in regulis iuridicis statuendis et in institutis canonicis confirmandis (7), hoc praecipue in re nostra obtinere. Sane, constitutio et ordinatio Societatum quibus professio iuridica et publica perfectionis committitur, doctrina circa vitam perfectionis ac perfectionis media atque instrumenta ab originibus tota fundatur ipsamque postea fideliter sequitur (8). In ultimo nostro Institutorum saecularium casu, prius Instituta ut status perfectionis non quidem stricte publicus ac canonicus, sed tamen vere iuridicus, si non necessario atque absolute quoad omnia, saltem quoad substantiam, completus figitur, et postea sub hoc lumine et hoc fixo criterio in omnibus duce, Instituta in *Lege peculiare* ordinantur (9).

4. Nos non fugit adiungi, etiam in hac parte, utiliter potuisse *ad spectum practicum*. Sub hoc respectu practico (iuridico) perpendenda fuissent et locus Institutorum in schemate statuum iuridicorum et ratio sub qua ipsorum membra, sive clericalia sive laicalia, inter personas canonicas recenseri debent. Sane ex historia et doctrina Institutorum, vera ipsorum conditio, atque, ut vulgo dicimus, *positio*,

(1) Cfr. *CpR.* 28 (1949), p. 133, n. 1.

(2) Cfr. *CpR.* 1. c., p. 109-110.

(3) Cfr. *CpR.* 1. c., p. 133-258.

(4) Cfr. *CpR.* 1. c., p. 134, n. 3.

(5) Cfr. *CpR.* 1. c., p. 134, n. 3 et not. 7-8.

(6) Haec omnia infra abunde ex dicendis comprobantur.

(7) Cfr. supra in *CpR.* 28 (1949) p. in commentariis ad art. *Legis peculiaris* et passim in *CpR.* 1 (1920), p. 214, n. 28, a) : 2 (1921), p. 134 et not. etc.

(8) Cfr. postea nn. 13 ss.

(9) Commentaria ad art. I et III *Legis peculiaris*.

quae non ab omnibus scriptoribus fuit clare perspecta seu fideliter exposita, secure pleneque resultat. Hic ponderari etiam apte potuissent difficultates quae ad hanc ordinationem Institutorum prout ex Const. *Provida* resultat motae iam fuerunt vel aliquali veri specie moveri possent. Quia haec tamen semel atque iterum in nostris commentariis tetigimus (10) et quia ab aliis forsitan opportunius e proposito ea explanari possunt, quae hac de re parata erant, brevitatibus etiam gratia supprimenda duximus.

I.

HISTORICA ILLUSTRATIO PROFESSIONIS CHRISTIANAE PERFECTIONIS EX CONS. "PROVIDA MATER,,

5. Ex illis quae occasione Institutorum saecularium, tam in Const. *Provida Mater* quam pariter in documentis quae ipsam hucusque compleverunt, vel clare ac expresse dicuntur vel non obscure innuuntur, aliqua notatu dignissima colligi possunt quae historicam evolutionem professionis externae, socialis et iuridicae christianae perfectionis imprimis integram illustrant. Praeter haec generalia et communia, alia non pauca in laudatis documentis inveniuntur et utiliter subnotari possunt, quae huius satis agitatae ac foecundae evolutionis historicae formas, phases, periodos usque ad hodierna Instituta saecularia illuminant. Ab illis incipimus quae generalem conspectum integrae evolutionis historicae statuum perfectionis respiciunt (art. I). Postea de diversis ipsius formis ac periodis separatim aliqua breviter addimus (art. II).

6. Quoad rationem procedenti: non omnia commentari, enucleare, vindicare praetendimus. Praecipua tangemus et rapide incedere conabimur, potius res innuendo et indigitando quam explanando. Fontes non omnes, ut patet, allegare licebit sed selectos tantum, qui validiores scilicet videbuntur. Bibliographiam, praecipue recentiore (in qua antiquior diligenter allegari solet) quando ipsa vere solida sit et momentosa, in notulis allegari satagemus.

(10) Cfr. C^pR. 28 (1949) p. 165 ss.

Art. I.

Sintheticum illustratio evolutionis historicae statuum perfectionis

7. Duplici paragrapho ea ordinabimus quae in const. *Provida*, in motu proprio *Primo feliciter*, in instructione *Cum Sanctissimus* et in aliis documentis supra collectis (1) circa generalem evolutionem statuum perfectionis inveniuntur, illaque etiam quae his documentis inhaerendo vel ipsorum facili occasione hac de re addere opportunum iudicamus. In prima paragrapho de Ecclesiae actione excitatrice et moderatrice in status perfectionis, in altera de interna statuum perfectionis evolutione.

§ 1.

*Ecclesiae actio atque interventus
in historicam evolutionem statuum perfectionis.*

8. Ecclesiae sanctitas, in qua singulari ratione ipsius divina origo ac perpetua in eam Dei actio splendet, prima inter notas quibus Sponsa Christi ornatur habenda est, atque aliarum veluti finis et ratio (2). Merito proinde, professio sanctitatis undequaque completa, id est christianae perfectionis (3), praesertim quando non tantum interna ipsa professio est, sed externa etiam atque publica, quae totam scilicet vitam complectitur suaeque luce se signat et omnibus lucet quae domi sunt (4) Ecclesiae carissima naturaliter fuit et necessario esse debuit (5). Sane, personae physicae et morales, quae sanctitatem ex instituto integre profitentur, Sanctae veraeque Christi Ecclesiae, qua ipsa visibilis Societas est, filialem ostendunt similitudinem totamque produnt naturam, nec solum sed pariter suae actionis plenam efficaciam in

(1) Cfr. m. pr. *Primo feliciter* 12 martii 1848 et Instr. *Cum Sanctissimus* eiusdem diei et anni AAS, 27 (1948) p. 114 sqq.; C^pR. 26 (1947) p. 123-132, 261-291; sermonem a SS.mo Domino Nostro ad Missionarias Regalitates, die 3 augusti 1949 habitum (in *L'Osservatore Romano* die 5 augusti 1949, p. 1).

(2) Hoc sensu quod Ecclesia una, apostolica, catholica ad hoc est, ut secure, pro omnibus, efficaciter, sancta sit et sanctificans!

(3) Cfr. MATTH. 19, 16; cfr. etiam MARC. 10, 14-22; LC. 18, 17-22. S. THOMAS; S. Th. 2^a 2^{ae} q. 184 a. 3; NAVAL, P. FRANCISCUS C.M.F., *De Christiana perfectione* C^pR., I (1920) p. 236-242; SCHÄFER, *De Rel.* 4^a n. 36.

(4) Ut AMBROSIIUS ait de Christo Domino: *Ipse enim est stella splendida et matutina sua ipsa luce se signat.* Cfr. Math. 5, 15; Marc. 4, 21.

(5) Cfr. PROVIDA textum et not. 1 et 2; P. ANASTASIUS A. SS. ROSARIO C. D. *Rivista di vita spirituale* 1 (1947) p. 169.

12. Ecclesia, vivificante Spiritu Sancto, in sua circa vitae perfectionis formas vigilantia actione, evidentissime iugiter ducta fuit. Ipsae sibi motu perenni ut undae maris perpetuo succedunt. Ecclesia valde semper circumspicienda, potius phreno quam stimulo erga novas usa fuit atque utitur. Neo omnia *nova bona* nec omnia *bona nova* acute dictum fuit. Hinc, etsi dum aliqua nova apparent non cito Ecclesia ipsa semper condemnet sed patienter et materno expectare noverit, tamen non nimis initio novis formis favere solet. Etsi sub bonis videantur auspiciis natae, quin probet absolute vel praecipitanter damnet, fructus iuxta verbum Domini (Math. 7, 16.20), benigne attendit (15).

13. Si historiam professionis vitae perfectionis in singulis suis stadiis, ab ortu ad meridiem (ipsa nescit occasum) percurramus, scilicet a momento in quo statim post Pentecostem anhelitus perfectionis incipit ut motus et status individualis ac *personalis* qui prius cito *socialis* efficitur, deinde ac maiori in dies intensio *iuridicus* devenit, postea characterem induit *publicum* at denique elevatur ad categoriam status publici, non cuiuslibet gradus, sed in iure nostro *cardinalis* ac sensu specifico *canonicus*, quatenus fundamentum constituit secundae clasis personarum canonicarum (c. 107). In Const. *Provida* nn. 4), 5) - aliquas generales agendi rationes Ecclesiae, circa hunc multiformem statum perfectionis, non difficulter inveniemus. Liceat ipsas synthetice iis quae sequuntur, ad mentem Const. *Provida* perstringere.

a) Ecclesia eo semper clare tendit ut in institutione, constitutione, ordinatione, regimine status vitae perfectionis, et directius et magis efficaciter interveniat. Suaviter, per gradus, sed fortiter in hoc pervenit ut maiora, saneque plura, sibi reservet expresse, et cete-

(15) Const. nn. 3, 4, 5, 10. Haec prudentissima ratio agendi S. Matris Ecclesiae constans semper fuit. Sibi ipsi fidelis, Ecclesia hanc praxim sequuta fuit: in approbatione et admissione ad statum regularem Canonicorum regularium, in approbatione et admissione Mendicantium, Clericorum Regularium, Congregationum religiosarum et Institutum saecularium, ut ex dicendis patet. Plura suadent et comprobant hunc procedendi modum: novitas rerum, incertitudo et debilitas humana mediorum et personarum (« quis putas puer iste erit »?), contradictiones etc. Ceterum, dum Ecclesia non damnat atque expectare videtur, et vivere sinit et prudenter defendit. Pedetentim moderate laudat atque hortatur ut, caute quidem, sed illa denegare non solet, sed concedit quae vere necessaria videntur. Cfr. STEIGER, l. c. not. 6, p. (172) - (174); CREUSEN, o. c. p. 43-44; GAMBARI, P. Aelius S.M.M., *dissertatio de evolutione historica Congregationum religiosarum* (Thesis ampla et solida, pp. 752, in P. Inst. Utriusque Iuris, a. 1945), pp. 23-32.

rum quoad alia stilum et praxim in approbationibus concedendis perfecte accurateque definiat (16).

b) S. Sedis providi interventus et strictiores in dies hac in re reservationes et ordinationes, ad haec praecipue conspirasse et conspirare videntur: ad *securum*, in doctrina et praxi, ubique in necessariis *uniformem*, ac denique *solidum ac constantem statum perfectionis* reddendum; ad *societatum* quibus Ecclesia statum perfectionis committit *unitatem*, internum sub apostolica defensione ac tutela *vigorem*, et praeterea in unitate et vigore *catholicitatem* et *universalem efficaciam* obtinenda, sustinenda et prosequenda; ad *charitatis ardorem*, quem perfectionis professio necessario in singulis excitare debet et vires quas compactae societates religiosae characteris universalis gignunt, colligunt, dirigunt ad proximorum bonum, ad ampliorem multiformem et efficaciorum apostolatuum vertat et convertat, ita ut veluti militia personalis prompte in manibus habeatur Summi Pontificis per quam ubique praesens esse valeat (17).

(16) Cfr. C^oR., 5 (1924), p. 42-49; MOLITOR, Abbas Rafael O.S.B., *Religiosi iuris capita selecta* (1905) pp. 50-60; VIDAL, P. Petrus S. J., *De Religiosis*, p. 11-12; SCHAFER, o. c. n. 267; GUTIERREZ, P. Anastasius C.M.F., *Doctrina generalis*.... art. 2, n. 3 et not., C^oR., 28 (1949), pp. 52-57; GAMBARI, o. c. p. 31-32; MAROTO, P. Philippus C.M.F., in *Acta Congressus Iuridict. Internationalis IV*, p. 228.

(17) Quoad stadia historica quae reservationes hac in re usque ad ius vigens et hodiernam praxim sequuntur sunt, haec utiliter colligi possunt: a) Reservationes approbationis novarum formarum vitae perfectionis S. Sedis a saec. X et sequentibus praeparantur. Et quidem in primis *factis* approbationum a Summis Pontificibus concessarum a s. X ad XII sive Religionibus monasticis (tam in Ordine monastico [Benedictino] ut Cluniaciensium, Camaldulensium, Vallis Umbrosae, Cisterciensium etc. quam extra ipsum ut Carthusianorum) sive Canonicorum regularium (a secundo dimidio s. XI) sive Ordinum militarium. Praeparantur etiam documentis ordinis magis generalis interventus pontificii ut in Conc. Lateranensi II (1139) in quaestionibus inter Monachos et Canonicos regulares etc. ut infra videbimus; b) In c. 13 Conc. Lateranensi IV sub Innocentio III (1215) reservatio formaliter imponitur (c. 9, X, III, 36); c) In Conc. Lugdunensi II sub Gregorio X (1274) reservatio confirmatur (c. un. III, 15 in 6^o); d) Reservatio, ita iam confirmata, in posterum (a s. XII-XVII) in legislatione, sive contenta in Corpore Iuris (cfr. ex. gr. c. I, III, 11 Clem.); sive extra ipsum dispersa (cfr. ex. gr. JULIUS II, 16 jul. 1556 in An. Iuris Pont., sec. III, col. 1888-1890) firmiter defenditur et exercetur, imo et extenditur ad status perfectionis, qui rigore Religionis non erant (cfr. legislationem et actus S. PIⁱ V, XI^{sti} V et successorum circa Conservatoria et Congregationes in C^oR., 1 [1920] p. 47-49 cum notis); GAMBARI, l. c. p. 57 ss.; MUZZARELLI, D. Fridericus S.S.P., *Tractatus canonicus de Congregationibus iuris dioecesanis* (1943), p. 16 ss.; e) Saec. XVI-BENEDICTUS XIV dum confirmat reservationem, occasione Congregationis Virginum Anglicanarum primum typum approbat *pro mulieribus* regiminis centralizzati, ut dicimus, quin tolerantiam sibi optime notam quoad Instituta dioecesana

14. a) Si nunc intimius tractus interventus pontificii in dirigenda evolutione status perfectionis perscrutemur, imprimis conatum tenacem laudare debemus resistendi prudenter novitatibus et novas formas quae in dies exurgebant ad antiquas in quantum possibile erat reducendi (18). Quae huic reductioni aperte resistebant Ecclesia semel iterumque vetare non dubitavit, et per plura saecula generales has prohibitiones retinuit (19). Tamen, semper prudens, nunquam dura, aliquas exceptiones *facto* admisit; quandoque *etiam positive* ac directo, contra normas generales, novos Ordines novasque vitae perfectionis formas approbavit; plura vero instituta quae primis ab ipsorum ortu temporibus, ut Religiones seu recognitos perfectionis status probare non potuit, eo quod visum fuisset e fronte in leges vigentes agere, ut modestiora atque specialia opera non tolleravit tantum, sed promovit et confirmavit (20).

quae praeformabatur, abroget (cfr. *CpR.*, I [1920] p. 49-50); g) Saeculo XVIII et praecipue s. XIX dum semper melius definitur et denique a BIZZARRI (Coll. ed. 1862 p. 828, ed. 1885 p. 752, fegitur methodus servanda in approbatione pontificia concedenda et effectus ipsius melius in dies determinantur, etiam indirecto figura instituti diocesani iuris negative ordinatur. Cfr. De his omnibus, GAMBARI, I. c. p. 485 ss., 670 ss.; MUZZARELLI, I. c. pp. 21-24, et nota quod ante const. *Conditae* vix una aliave adsit resolutio circa Congregationes iuris diocesani et quod ipsae ut Congregationes ignorantur a legislatione pontificia, quae ipsas non ligabat; h) Const. *Conditae a Christo* 8 dec. 1900 admittit, accurate definendo figuram iuraque Congregationum iuris diocesani. Confirmatur legislative praxis erigendi Congregationes ab Episcopis, imo huic erectioni experimenti causa favetur. Cfr. *Normas* S. C. Ep. et Reg. 28 iun. 1901, art. 1. i) in motu proprio *Dei providentis* 16 iulii 1907 dum iterum confirmatur Episcopis, ad normam const. *Conditae* facultas condendi Congregationes diocesanas ipsa subordinatur praeviae concessionis ac veniae S. Sedis quae *nihil obstat* erectioni declaret; k) In Codice (c. 492, § 1) m. p. *Dei providentis* conservatur fitque profunda transformatio Congregationum iuris diocesani, quae iam ut verae religiones eodem modo ac pontificiae recognoscuntur et pari modo legislatione Codicis communi, sicut etiam futura ligantur. Cfr. *CpR.*, 2 (1921), p. 282-284; MUZZARELLI, I. c. p. 21-24.

(18) Hinc Conc. Lateranense IV (c. 9, X, III, 36) et Lugdunense II (c. un. III, 17 in 6^o) obligant fundatores ad assumendas regulas iam approbatas. Non tantum ita coerebatur possibilis fundatorum vanitas, et confusio vitabatur, sed etiam, quod nostra nunc interest, antiquior solida probataque vitae religiosae ratio novis formis, quae denique, victis difficultatibus, admittebantur efficaciter inserebatur et transmittabatur.

(19) Erat resistentia non rationabilis, quia simul cum antiqua regula quae accipienda erat, relinquebatur ampla libertas illam complendi novis constitutionibus seu statutis in quibus illa omnia quae peculiariter erant colligerentur.

(20) Allegari possunt, ut pulchra exempla, Mendicantes omnes, non exceptis Fratibus Praedicatoribus et Minoribus. Ecclesia impense ipsos promoverat, fortiter defenderat, dum ipsi adhuc non erant proprie ut Regulares recogniti. Conc. Lugdunensi c. 3 reproducens praescriptum c. 13 Conc. Lateranensis IV addebat: «Sane, ad Praedicatorum et Minorum Ordines, quos evidens utilitas Ecclesiae universali proveniens perhibet approbata, non patimur constitutionem extendi». — Idipsum repetitum fuit in aliquibus ex Ordinibus Clericorum Regularium, qui

b) In ordinatione, tam interna quam etiam externa, formarum novarum vitae perfectionis quoad illa omnia, bene notetur, quae ad vitam perfectionis et apostolatus exercitium *necessaria* habenda sunt et *communia*, Ecclesia ex antiquioribus, bene probatis ac traditione receptis, quae in novis deficiebant resolute ac secure complevit. Sibi ipsi fidelis Ecclesia evolutionem ab historia separare non patitur; illam huic inserit (21). Bonum semen in terra deponitur, in ipsa radices agere debet et limpham vitalem quam potenter in flores, fructus transformabit ex elementis sumit necessario quae campus offert in quo seminatur. Quin missioni propriae peculiarique fini quem recentiores Religiones, novae Congregatione, Societates, Instituta persequuntur revera noceatur, hae iuvenes formae, in quibus vita fervet et fremit, patienter sed firmiter ab Ecclesia, quoad praedicta *necessaria* atque *communia*, ad *antiquiora* trahuntur. Dum haec formae incipiunt, omnia non raro innovaturae viderentur, quandoque omnia antiquiora, quae obsoleverant, acerrime restauraturae. Ecclesia quod in utroque motu, etsi sincerum rectumque videtur, tamen exaggeratum non immerito apparet, sapienter coeret (22).

15. a) Ceterum Ecclesia saeculari experientia novit et apprime didicit, formas has professionis perfectionis quae celeri et concitato cursu sibi in historia succedunt, cum spiritu Dei aguntur, mirifice respondere vitae internae necessitatibus et apostolatus adiunctis. Dum aliqua vitae perfectionis diversa ratio in Ecclesia feliciter iam obti-

per aliquod tempus non sunt Ordines, sed *vel* Piae Societates absque votis, ut *Camilliani* (cf. breve *Sixti V Ex omnibus* 18 martii 1586, *Bullarium Ordinis Clericorum RR. MM. Infirmis* a Rev. mo P. Kraemer a. 1947 editum p. 7-10) et *Somaschi*, *vel* Congregationes votorum simplicium, ut *Clerici Matris Dei* a S. Joanne Leonardi fundati et *Pauperes Clerici Matris Dei Scholarum Piarum* S. Josephi Calasantii. Cfr. ex. gr. GAMBARI, P. Aelius S.M.M.: *De votis simplicibus Religionis in Societate Jesu eorumque momento in evolutione iuris Religiosorum*. Estratto dall'*Ephemerides Juris canonici*, An. III (1947) p. 9. — In evolutione Congregationum votorum simplicium aliquae Congregationes, virorum praecipue, ut Fratrum Scholarum Christianum, Clericorum a Passione D. N. Jesu Christi, Clericorum saecularium SS. mi Redemptoris etc. laudatae, approbatae, omnibus modis adiutae fuerunt, etsi non fuerint vel antequam fuerint religiosae. Et idem phenomenon innovatur quoad Instituta saecularia.

(21) Labor Ecclesiae sub diversis respectibus: *legislationis* scilicet generalis et particularis pro diversis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, *iurisprudentiae*, *regiminis* in hoc est: in applicatione prudenti anterioris legislationis formis novis quae ipsas non opprimat sed compleat et adjuvet. Hic labor parallelus est labori creationis novae legislationis et iurisprudentiae. Cfr. *CpR.*, I (1920) p. 133-140, 171-177, 205-212; GAMBARI I. c. p. 386-415. Exemplum *antiquius*, sane pulchrum, elegans ac momento plenum, invenitur in adaptatione praecedentis legislationis Monachorum et Canonicorum Regularium Mendicantibus et in praeparatione novae legislationis horum propriae (circa paupertatem, regimen provinciale et generale, ministeria clericalia et apostolica etc.). De his

nuit, et quidem quandoque ita plene ut ex ipsius laboriosa recognitione conceptus ante ipsam receptus vitae perfectionis ampliari debuerit, dum legislatio post concessionem factam sistere vellet et aliis obsistere, iam nova semina germinant, et silenter crescunt, ac virescunt. Iterum atque iterum ut vivificanti Sponso fidem servet Ecclesiae maternus sinus, graemium, cor, brachia aperienda sunt et dilatanda spatia charitatis (23). Omnes conatus periodice, usque ad nostros dies, renovati, prorsus vel absque distinctione impediendi sive formas sive Societates novas perfectionis et apostolatus vel ipsas veteribus uniendi seu inter se fundendi, maxima ex parte vani et irriti fuerunt (24).

b) In sua directione vitae perfectionis Ecclesia magis in dies conscie magisque fortiter tendit, ut perfectionis professio arctius apostolatu, animarum et boni Ecclesiae zelo, charitatis exercitio diversimode uniatur. Separatio a mundo, etiam sub sancta validaque ratione et specie, ipsum, in maligno positum (Joan. 5, 15) fugiendi, et sanctificationem in solitudine quaerendi quae absque dubio fuit ratio et species praedominans imo dominans in vita eremitica, mona-

omnibus propriis locis infra agemus. Exemplum recentius adest in accommodatione legislationis regularium Congregationibus et in lenta creatione legislationis Congregationum. Exemplum denique recetissimum, quod prae manibus habemus, est applicatio legislationis religiosae Institutis saecularibus in illis in quibus Instituta, quatenus sunt quoad substantiam religiosa et quatenus societatem constituunt hierarchicam et characteris universalis, merito Religionibus equiparantur. Praeter hanc applicationem aliud adaptationis nec adaptationis tantum sed creationis opus non minoris momenti nec minoris difficultatis silenter completur, id est conditur specialis pro ipsis iurisprudentia quae generalia principia legislationis hucusque promulgatae evolvit et applicat. Cfr. *CpR.*, 28 (1949) *Iurisprudentiae de Institutis saecularibus hucusque conditae summa lineamenta*, p. 308-345.

(22) Hinc, Ecclesia, etiam dum instituta approbat nova materna libertate illa ab eis aufert vel in iisdem temperat quae minus sibi videntur opportuna. Ipsa, tandem aliquando, vera fundatrix et mater institutorum est.

(23) Cfr. infra nn. 8, 11, 12, 13, 14, 15, 16. Ecclesia innoxia corpora moralia occidit nulla, imo in hoc tendit ut omnibus modis, etiam antiqua, fere iam quandoque fatiscientia, conservet. Pacifico convivere, imo cum mutuo profectu, facit senes cum invenibus. Ex antiquioribus religionibus thesauros doctrinae et experientiae depromendo novas erudit, dat, fortificat institutiones. Non raro exemplo ex novis ob oculos posito antiquas ad renovationem vocat, allicit, excitat. Lente et suaviter sed firmiter inique conatu, dum Ecclesia internam externamque in dies magis completam vitae et actuositatis formam et ordinationem exigit magisque efficacem atque necessitatibus vitae et apostolatus respondentem, omnia quin destruat vel deformet, moderatur et ad harmoniam reducit. Hinc Societates quae novitatem affectant ad rerum veritatem revocat, illas vero quae antiquitatem in omnibus sapide quaerunt ad progressum et vitam, quae motus est ab intrinseco trahit.

(24) Relinquendo historicis antiquiores, hi conatus ter saltem hoc saeculo repetiti fuerunt. In primis dum parabatur const. *Conditae*, plura collecta fuerunt contra nimiam imprudentem multiplicationem Congregationum. In *Normis* a. 1901

stica et generatim in vita contemplativa, a fratribus qui in mundo remanent (Joan. 17, 15) alienare religiosum nullo modo neque debet neque valet. Sed *exemplo, participatione in oratione publica, com-penetratione in omnibus quae mala non sunt sed honesta cum locis et regionibus ubi monasteria aedificantur, spiritu poenitentiae, reparationis et oblationis* et sensim sine sensu semperque magis impense etiam *actione directa*, partiali prius et subordinata, sed deinceps pleniore (25) ac denique veluti *consubstantiali ratione*, professio perfectionis generatim et spiritus peculiaris uniuscuiusque Religionis debet esse cum apostolatu fusa imo ad definitam apostolatus formam tota ordinata (26). *Sanctitas* in dies fortius, ad exemplum Sanctae Matris Ecclesiae, in omnibus Religionibus, quin ullo modo tamen nec derogetur vitae contemplativae nec proprius probatusque spiritus uniuscuiusque Religionis tangatur aut turbetur, cum *apostolice-tate* (spiritu Apostolorum et apostolatu) et quidem *una et catholica*, unita est atque uniri debet (27).

A. LARRAONA, C.M.F.

(Continuabitur)

regulae quaedam compilatae sunt ad criteria figenda circa eliminationem aliarum Congregationum, difficilem aliarum admissionem ad impediendam vel coerendam multiplicationem (art. 8-17). Post aliquos annos, cum nulla forma directa efficax inveniretur ad moderandos Ordinarios in novis foundationibus inchoandis, indirecta satisque practica per m. p. *Dei Providentis* 9-16 iul. 1906 inducta fuit exigendo scilicet ab Ordinariis praevidiam veniam S. Sedis post rei accuratam expositionem. Cum *Normae* a. 1901 post Codicem revisae fuerunt, iterum hac de re actum fuit et aliquantulum praecedentes regulae fuerunt emollitae. Paulo post per decr. *Quod iam* 30 nov. 1922 (AAS, 14 1922 p. 644) S. C. omnes religiosas Congregationes iuris dioecesani ad ordinem revocare curavit per fore male decretum quod ipsarum vitam, si dignae erant, certam redderet vel per denegationem recognitionis ab ipsa ferendam si indignae quae viverent invenirentur. Post decem, plus minus, annos iterum in Plenaria hac de re (sub die 7 Julii 1933) discussum fuit et severiores quaedam internae normae datae fuerunt.

(25) Cfr. infra n. 20, a), b), c), 1), 2).

(26) Cfr. infra n. 20, c), 3) 4) et d); Creusen, o. c. p. 44.

(27) Cfr. infra l. c. et F. DE DAINVILLE, S. I., *L'accès des religieuses à la vie active*, (Vie Spirituelle 1949, pp. 39-61) et F. DE SAINTE MARIE, O.C.D., *La mission de la vie contemplative dans l'Eglise d'aujourd'hui* (ib. pp. 62-83).

(28) Ridiculum esset, immensum mare historiae Statum perfectionis, in quo tot tantaque adhuc inexplorata remanent intra concavum manus huius brevis articuli concludere. Ut statim in textu dicimus, quae ad illustrandam *Const. Provida* aliaque documenta ipsi adnexa, de hac historica evolutione nobis inserviunt brevi ac simplici manu colligimus.